



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 7. Azollini Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

postea ab eodem Gregorio XIII. Romam Sæcul. XVI.
A. C. 1587.
 vocatus, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo secunda die Junii Cardinalis titulo sanctæ Mariæ novæ nominabatur, atque post aliquot annos ad litem, quæ inter Ferrariæ Ducem, & Bononienses cives exorta erat, componendam, Bononiam jubente Gregorio se contulit, illamque cum utriusque partis applausu sedavit: porro dein Romanus Fiscus Præses renuntiatum suum quoque suffragium tulit in Comitibus Sixti V., quo sedente e vivis abiit Romæ anno salutis quingentesimo octuagesimo septimo supra millesimum decimo sexto Calendas Septembris, hora decima tertia, ejusque Corpus Romæ in Basilica SS. duodecim Apostolorum apud Minores temporario tumulo exceptum, sequenti autem anno octavo Calendas Martii Bononiam translatum est, ubi in Monasterio S. Francisci ante gradus majoris Aræ conditum quiescit.

Hic idem nonnisi quadraginta sex annos, decem Menses, ac septendecim vitæ suæ dies transegerat.

§. VII.

Azollini Cardinalis decessus.

Quarto loco inter Cardinales hoc anno defunctos recensendus venit Ciac. p. 152.
Et Ughel.
l. 6.
 Decius Azzolinus nobilis Firmanus in
 Mar-

Sæcul. XVI. A.C. 1587. Marchia Anconitana natus, ac Pompeji filius, qui Sixti V. tum adhuc Montalti Cardinalis ante Pontificatum Secretarius, & ab eodem, cum jam summus Pontifex renuntiatus esset, Vaticanæ Basilicæ Canonicus primo, mox vero propter fidem præstitam, & in rebus agendis exploratam ejus solertiam, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Matthæi in Merulana adlectus est, postquam idem Pontifex altera vice anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quinto sacrum Collegium auxerat. Hic idem Papa in quadam sua epistola hunc Cardinalem amplis deprædicat elogiis, illumque non modo ob generis nobilitatem, sed & virtutum eminentiam plurimum deprædicat, hinc eundem post Philippi Boncompagni Cardinalis mortem Archipresbyterum sanctæ Mariæ ad Præsepe declaravit, eumque Congregationis Canonicorum sancti Georgii in Alga Protectorem constituit. Decessit Decius hoc anno ad initium Mensis Octobris nonnisi triginta octo annos natus, sepultusque est in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris.

§. VIII.

Cardinalis Lotharingus, seu de Valdemontio mortuus.

Quin-